



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Quando & in quibus causis Judex possit ex officio à partibus exigere
juramentum de dicenda veritate?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

officio suo, & eodem non implorato, sed etiam subinde debere, si id expedire æquum videatur, prout sumitur ex *cit. c. nisi. §. Sanè h. t.* Cum enim Iudex pro veritate eruenda modis omnibus laborare debeat, consequenter, si aliter veritas haberi non possit, & æquitas hoc permittat, potest etiam per iuramentum eam explorare.

Ad secundum quæstionem *æ.* quod pars litigans ante conclusionem in causa possit, ac debeat petere delationem iuramenti suppletorii, etiam si terminus ad probandum præfixus jam elapsus sit, & nulli testes amplius produci possint, cum in iuramenti talis delatione non sit periculum subornationis, aut perjurii, sicuti posset esse in testium productione: postquam tamen in causa conclusum est, per quam partes omnibus ulterioribus probationibus renuntiant, & os quasi claudi sibi permittunt, nulla quidem à partibus peti potest iuramenti suppletorii delatio, potest tamen hoc Iudex, si æquitas postulare videatur, ex officio deferre etiam in instantia appellationis, quia in ordine ad Iudicem nunquam in causa concluditur.

§. V.

Quando, & in quibus causis Iudex possit ex officio à partibus exigere iuramentum de dicenda veritate?

In causis, in quibus periculum animæ aut peccati subest, potest Iudex ex officio suo, deficientibus aliis probationibus, si adsint præsumptiones aliquæ, exigere iuramentum de veritate dicenda à partibus, cogendo etiam eas, ad id cen-

suris Ecclesiasticis. Ut habetur in *c. Ead. teris 32. h. t.* cum Iudicis sit, inquirere & quantum potest, cogere ad veritatem dicendam.

SECTIO III.

De interpretatione iuramenti.

§. I.

Quomodo interpretandum sit iuramentum?

Quoad obligationem suam strictam iud interpretari oportet, quatenus materia circa quam versatur, & ius pacti vel promissionis, cui adijciuntur, miserint, quia ubi de obligatione iuramenti stricta fieri debet interpretatio, juxta *l. Quidquid 99. ff. de V. O.* Et cum non favor nec reverentia iuramenti tantam extensionem exigant, sanctius servanda si stricta illius sit interpretatio: Et hoc iuramentum generaliter editum ad servanda statuta v. g. extendi non potest, statuta illicita *c. Contingit 1. h. t. in c. Clericus 35. h. t.* neque ad servanda statuta usu non recepta, cum stricta iuramenti facti explicatio ad hæc talia se non extendat.

Debet tamen iuramentum præfixum circa materiam Iuris, vel circa eas, quæ concernunt, intelligi secundum ius communis dispositionem, & ad illud restringi, neque ultra extendi, *Gl. in c. Primum V. Declaramus h. t. in c. Ad nostram 21. h. t.* Cum intentio jurantis alia esse non potuerit, nisi iuris communis observatio.